
OJ
INTER FOLIA FRVCTVS

Jahresbericht

der Steinbart'schen

Erziehungs- und Unterrichts-Anstalten

bei Züllichau,

herausgegeben

am Schlusse des Schuljahres von Ostern 1857 bis Ostern 1858.



I. Abhandlung des ordentlichen Lehrers Dr. Lindner de Lycio Cestio Pio.

II. Schulnachrichten, vom Director.

Züllichau,
gedruckt bei J. A. Lange.
1858.

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

DE

LVCIO CESTIO PIO

COMMENTATIO

SCRIPSIT F. G. LINDNER, PHIL. DR.

Perlustranti mihi latos litterarum Romanarum fines, ut inuenirem materiam in qua integras adhuc uires exercerem, in declamatorum incidi studia quae deperdita eloquentia forensi laetissime Romae florebant. Ea enim quomodo fuerint cum in uniuersum ab omnibus fere qui litterarum historiam perscripserunt expositum uiderem, ubi singulos adire uolui uiros hac arte insignitos, nihil fere inueni nisi hanc uel illam narratiunculam in notas tamquam ablegatam. Bernhardyus in litterarum Romanarum historia, Meyerus in oratorum Romanorum fragmentis, Westermannus in historia eloquentiae quanta et quam egregia de hoc studiorum genere scripserint nemini ignotum; certi uero cuiusdam declamatoris imaginem ex iis non satis perspicies. Hanc igitur litterarum partem pro uiribus tractandam suscipiens Senecam potissimum adii, fontem uberrimum. Is enim plus centum uiginti rhetorum sententias colores diuisiones in libris suis suasoriarum et controuersiarum composuit, multa de eorum declamandi ratione, multa de uitis addidit, neque quisquam inter aequales fuerit uel mediocris auctoritatis cuius memoriam non seruauerit. Eius igitur libros peruolui e maximo declamatorum numero eos potissimum electurus, quos ipse principes appellat. Ac primum quidem de M. Porcio Latrone „declamatoriae uirtutis unico exemplo“ (Sen. contr. VIIII praef. 3) libello perscripto, dissertatione scilicet inaugurali Vratislauiae a. 1855 edita, iam uirum petiui qui a multis aequalibus egregiis illius aetatis oratoribus, a discipulis ipsi Ciceroni praeponebatur (cf. Sen. exc. contr. III praef. 15) Lucium Cestium Pium.

I.

De Cestii uita.

Appellat Seneca eum de quo scribimus uel uno nomine Cestium uel duobus Cestium Pium; qui praeterea commemorant Quintilianus inst. orat. X. 5. 20 et Hieronymus in Eusebii chronico ad Ol. 191 gentilicium solum habent. Alius fons non restat: quae enim Suetonius de eo rettulerat in libro de claris rhetoribus deperdita sunt omnia praeter nomen in catalogo seruatum, quod integrum ibi restat Lucius Cestius Pius cf. ed. Wolfian. p. 29.

Homo Cestius erat graeco genere oriundus (cf. Sen. contr. VIII. 26. 13) et quidem Hieronymo teste Smyrnaeus: de parentibus uero nihil traditur. Nam qui commemoratur in ueteribus editionibus contr. II. 14. 6 „Cestius Pater", patrem fuisse rhetoris non est unde comprobetur; immo locus ille quod unicus est non uacat suspicione. Videtur Cestius Pater nullus esse sed librorum ortus corruptela, quam nescio an ex Antuerpensis codicis scriptura „Cestius pater pater patris" recte sanauerit Bursianus recentissimus editor coniciens „Cestius a parte patris." Hunc igitur uirum missum faciamus.

E nomine tamen si licet aliquid de origine conicere, haec proposuerim. Insignitus est gentis Romanae nomine homo Asiaticus qui in grammaticis et rhetoricis studiis summam operam nauabat, qui ipse scholae praefuit rhetoricae. Erat uero id munus quod illa aetate, qua ciui Romano turpe erat docere quae honestum erat discere (cf. Sen. contr. II. praef. 15), a libertis multis et magno opere appeteretur. Intra eos praeceptores pulcherrimae artis continebantur (cf. Sen. l. l. Bonell. de mutata sub primis Caesaribus eloq. Rom. condicione Berol. 1836 p. 14 et 15), a quibus quae et quanta in illa arte elaborata sint, documento est maxime Verrius Flaccus Gaii et Lucii Caesarum praeceptor, quem instar omnium liceat proferre. Qua de re in magna hac libertorum manu nostrum quoque numerandum esse a uero non nimis aberit.

Quod si ita est, cum iam quis manumiserit quaeritur, Lucius quidam Cestius rhetoris nomine ostenditur. Nouimus uero duos huius nominis uiros: alterum patrem, alterum fratrem Gaii Cestii praetoris tribuni plebis septemuiri epulonum, cuius memoriam monumentum huc usque Romae seruatum in longissima tempora protrahet cf. de eo Pauly Encycl. tom. II. p. 289. et de eius pyramide descriptionem urbis Romae ed. Platner, Bunsen cet. tom. II. p. 435—39. De patre nihil habemus traditum; frater uero, cuius nomen in nummis coniunctum cum C. Norbani nomine additis litteris PR insignitur, ex Hauercampii opinione in Thesauro Morellii unus erat sex uel octo praefectorum, quos Caesar exeunte anno 758 u. c. contra Pompeii filios in Hispaniam profectus Romae reliquit cf. Dio Cass. XLIII. 28, Eckhel doctr. numm. uet. tom. V. p. 169, Pauly l. l. Horum uteruis seruum manumisit in nominis communionem libertum recepit. Videtur autem hoc in L. Cestium filium cadere, si quidem Cestius rhetor, id quod paulo infra calculo instituto demonstrabimus, circa annum 705 u. c. natus est.

Ornatus autem est Pii cognomine, de quo quidem legimus apud Quintil. V. 10. 30 „Ponunt in persona et nomen, quod quidem ei accidere necesse est, sed in argumentum raro cadit nisi cum aut ex causa datum est ut Sapiens Magnus Pius". Atque Antoninum imperatorem Pium appellatum esse propter clementiam (cf. Ael. Spart. Hadr. 24. Iul. Capit. 2. Dio Cass. LXX. 2 cet.), Q. Caecilium Metellum propter patris amorem cuius exilium deprecari nunquam desierit (cf. Cic. post red. in sen. 15. 37, Dio Cass. fr. 108, Appian. I. 33, Vell. Pat. II. 15, Val. Max. V. 2. 7) nemini ignotum: Cestius uero unde traxit cognomentum? Pietatem credo seruabat seruus quam maximam in dominum, ob eamque ipsam causam fortasse manumissus hoc nomen recepit patrii loco, quod quomodo potuerit oblitterari demonstrasse mihi uideor in commentatione mea de Latrone p. 5.

Qui in editionibus ueteribus suas. II. 17 profertur Cestius Crispus, is ex optimorum codicum auctoritate a Bursiano in Catium Crispum mutatus est; cum eo igitur rhetori communio non uidetur intercedere.

Cestii aetatem in uniuersum cognoscimus cum ex rhetorum circulo quorum erat aequalis et in arte haud raro aduersarius, tum ex Hieronymi loco Olympiadem CXCI seu annum 741 u. c. certis numeris proferente; quaestionis uero artioribus continendae finibus occasionem praebet Senecae narratiuncula, in qua Cestius a Cicerone praetore tunc in Asia uersato in caenam uocatus turpiter dimissus est cf. suas. VII. 13. Eo in loco quamquam multa sunt obscura et quae accurata egeant explicatione, id ipsum tamen quod apud praetorem caenabat rhetor ostendere uidetur uirum illo tempore iam famam aliquam et auctoritatem adeptum, quae quoniam eruditio scholastica aetatis anno fere decimo sexto absoluebatur, ante uicesimum annum uix ei contigit. Iam uero M. Tullius Cicero Ciceronis filius consul erat anno 724 u. c. et quidem suffectus ex Idibus Septembribus (cf. Piranesi fast. 32. ad annum 723 u. c., anno sequente Asiam obtinuit prouinciam. Itaque si ab hoc anno computamus, post annum 705 u. c. Cestius uix natus est. Alia uide infra.

Simili modo ratiocinatione quadam quousque Cestius uitam suam perduxerit eruere possumus. Fuit enim in eius discipulis Quintilius Varus filius illius, qui in silua Teutoburgensi legiones Romanas perdiderat. Cui quidem cum qua erat impudentia hoc ipsum patris damnum opprobrio uerteret: „Ista neglegentia pater tuus exercitum perdidit" post annum 763 u. c. rhetorem floruisse liquet. Declamauit autem apud Cestium controuersiam „Varus Quintilius tunc Germanici gener ut praetextatus" cf. contr. I. 3. 10. Retinemus enim cum optimis codicibus ut lectionem: et correxit Iahnius, receperat iam Orellius in nota ad Tac. annal. IIII. 66. Notitia admodum obscura est, quippe quae praeter Senecam omni teste careat. Nam ex tribus filiabus quas Germanicus reliquit Agrippinam Drusillam Iuliam Liuillam, nulla Vari uxor traditur cf. de iis Pauly Encycl. I. p. 277. 3, II. p. 1271, IIII. 485. Lipsius ad Tac. ann. IIII. 66 filiam Germanici Varo nupsisse nudis uerbis confirmat, contra ea Nipperdeyus nihil nisi desponsum illi fuisse tradit ad eundem locum: nomen uterque omittit. Atque is uerum uidetur uidisse. Particula enim tunc tempus significari quo declamauerit Quintilius nemo negabit; praetextatum autem qui togam uirilem nondum sumserit (cf. Pauly Encycl. VI. 11. p. 1996) uxorem iam duxisse non uidetur credibile.

Extant quidem inscriptiones duae quae testantur impuberum iugalia, altera apud Gruterum 788. 8

HERACLAE. QVI VIX
ANN. XI. MENS. V AVR
PATRONA CONIVGI
BEN. MER. FEC

altera apud Murat. 1368. 9

D. M.
LVCIAE REDEMPTAE VIXIT
ANNIS XXXXV. N. CASSICIVS PHOEBVS FECIT
CONIVGI BENEMERENTI CVM QVA
VIXIT ANN. XXXVIII ET LIBERTIS cet.

cf. Orellius inscr. I. p. 464 et 465, sed etiamsi concedimus numeros non esse corruptos, haec tamen ante Iustiniani certe edictum (cf. instit. I. 22. pr. Pauly I. 195 sub uoce „aetas") monstra uidentur quae par est uitare, ubi refugium restat. Hoc uero inesse puto in uoce ut. Verba enim „ut praetextatus" relata ad solam uocem declamauerat, praeterquam quod addita particula ut suspicionem mouet, prouocant illam difficultatem, relata ad uocem gener tollunt explicantia quod in uerbo illo insolentius dictum est. Hoc enim modo cum interpretamur, gener exhibetur talis, qualis praetextatus esse potest, id est sponsus. Is uero si fuit, cur addidit Seneca uocem tunc? Videlicet rem significans quae sibi non constitit, immo sequenti tempore sublata atque commutata est. Tunc Germanici gener futurus erat Quintilius, mox in contrarium res cecidit, sponsalia enim nuptiae non sunt secutae. Sponsus fuit Germanici filiae, sed priusquam in matrimonium duceret eam reliquit. Quae si recte disputata sunt, non mirum quod res in irritum deducta a nullo scriptore commemoratur. Neque tollit hanc argumentationem Coroebus Mygdonis filius, qui quamuis sponsus esset Cassandrae, a Vergilio Aen. II. 344 gener dicitur (cf. eleg. ad Messall. 31); quod enim licuit poetae in nostrum locum non quadrat. — Sed utut res fuit, accidisse eam priusquam Claudia Pulchra Quintilii mater a Domitio Afro impudicitiae adulterii ueneficiorum in principem et deuotionum postularetur, id quod Tacitus narrat ann. IIII. 52, si Nipperdeyus recte contendit, Varus ante annum 770 u. c. declamationem illam uix habuerit. Ad hunc igitur annum Cestius uitam perduxerit necesse est: ultra uestigia desunt.

Sed haec hactenus de Cestii aetate, iam ad ea procedamus quae de eius uita tradita habemus. Natus erat Smyrnae tunc temporis eloquentiae et artis rhetoricae in Asia primaria sede cf. Euseb. chron. l. l. Ibi elementa grammatica edoctum artem eum rhetoricam percepisse si a uero haud procul abesse uidetur, (cf. Bernhardy litt. Rom. hist. p. 75 seq. dissert. de Porcio Latrone p. 8 seq.) quibus praeceptoribus usus sit non pari modo liquet. Praematuram autem gloriam sibi uidetur comparasse is quem, cum omnia quae ad uitam cum pueri tum adulescentis pertinent multis tenebris lateant, primum in Ciceronis domo caenantem reperimus apud Sen. suas. VII. 13. Iam quidem Cicero ille erat egregio patri cum ingenio tum morum integritate impar, ebrietati praecipue deditus teste Plinio nat. hist. XIIII. 22 Tergilla Ciceronem M. filium binos congios simul hausisse solitum ipsi obicit. Factum id erat Gorgiae rhetoris culpa, qui cum auditorem illum haberet Athenis anno 709 u. c., ad ebrietatem aliaque uitia adulescentem perduxit, ita ut pater filium ab eo remouendum curaret cf. Plut. Cic. 24. Atque nimius hic uini bibendi amor attulerat ei multa illa damna a Plinio l. c. disertis uerbis enumerata, memoriae imprimis iam natura demtae quantulum supererat prorsus subducebat. (codices natura memoriam demerat; Bursianus coniecit natura memoria infidelis erat.) Laudatur uero in eo urbanitas eaque lucrifecisse uidetur Cestius. Vsu enim uenit illis temporibus quibus a republica ad studia litteraria profugiebant uel nobilissimi uiri, ut ambitioni indulgerent hominibus in litteris quodammodo nobilitatis fauentes eosque in familiarem consuetudinem adducentes cf. Bernhardy p. 225 seq. Fecit hoc Asinius Pollio, fecit Messalla Coruinus, fecit imprimis Maecenas cuius nomen hanc ipsam ob causam prouerbii loco dici solet. Atque hunc morem, siquidem erat urbanitatis, Cicero quoque secutus esse uidetur, cum Smyrnae uersatus clarum rhetorem ad caenam inuitaret. Sed male illi honos cessit. Exciderat enim Ciceroni Cestii

nomen, quod cum interrogasset subinde excidit, donec nouissime seruus, ut aliqua nota memoriam eius redderet certiorem, iterum interroganti domino quis ille esset qui in imo recumberet ait: „Hic est Cestius qui patrem tuum negabat litteras scisse". Maior erat haec arrogantia quam quae ferri posset, praesertim a filio. Itaque Cicero nimia potione iam ad insanum impetum prouectus de corio patri rhetorem satisfacere iussit. Ceterum quae in Senecae libro leguntur uerba „apud Cestium praetorem" aperte deperdita recte mutauit Bursianus: „apud Cestium Pium rhetorem" restituens.

Hoc solum comperimus de Cestio, quoad in Asia uersabatur; ubi num publice iam docuerit non constat. Postea Romam migrauit ibique scholam aperuit a multis frequentatam discipulis cf. Hieron. ad Euseb. chron. Ol. 191 seu annum 741 u. c. „Cestius Smyrnaeus rhetor latine Romae docuit". Quo quidem anno si Hieronymus pro consuetudine sua id tempus significat, quo rhetor Romae maxime florebat, aliquot annis ante eum in Italiam transiisse non uidetur audacius conici. Vita eius hic fuit quae huiusmodi uirorum solebat esse, uersata in schola maxime studiorumque recessu, uniformis et languide decurrens. Prouinciam publicam non suscepit, quamuis saepe buccas inflaret plenoque ore ac latere de republica garriret; ne processit quidem in solem et puluerem forensem oratoris partes suscepturus cf. infra. Declamabat autem Cestius maxime in schola neque non descendit ad certamina in aliorum rhetorum conuentus, id quod eius cum Latrone altercatione demonsratur contr. I. 5. 8 et 9 (cf. de Latr. diss. p. 23) collatis aliis Senecae locis contr I. 3. 8, I. 6. 11, II. 11. 22, quarum in postrema contextum qui dicitur sic restituit Bursianus: malefieri nunc orbam, si iam tum iurasset. Recitauit etiam, ut homo erat uanus et ambitione elatus, in balneis publicis, quo quidem Cassius Seuerus teste Suetonio de ill. gramm. 22 atrox homo et facile molestus aliquando ad eum accessit auditurus in Milonem recitaturum. Illum uero diem Cestius profecto notauit infelicissimum, cum miserrimo modo a Cassio uexatus domum rediisset. Audiamus Cassium ipsum fabulam narrantem apud Sen. exc. contr. III. praef. 16 seq. „Memini intrare me scholam eius, cum recitaturus esset in Milonem Cestius: ex consuetudine sua miratus dicebat: Si Thrax essem, Fusius essem, si Pantomimus essem, Bathyllus essem, si equus, Melissio. Non continui bilem et exclamaui: Si cloaca esses, maxima esses. Risus omnium ingens: scholastici intueri me, quis essem qui tam crassas ceruices haberem. Cestius Ciceroni responsurus mihi quod responderet non inuenit, sed negauit se executurum, nisi exissem de domo. Ego negaui me de balneo publico exiturum, nisi lotus essem. Deinde libuit Ciceroni de Cestio in foro satisfacere. Subinde nanctus eum in ius ad praetorem uoco et cum quantum uolebam iocorum conuiciorumque effudissem, postulaui ut praetor nomen eius reciperet lege inscripti maleficii. Tanta illi perturbatio fuit, ut aduocationem peteret. Deinde ad alterum praetorem eduxi et ingrati postulaui. Iam apud praetorem urbanum curatorem ei petebam: interuenientibus amicis qui ad hoc spectaculum concurrerant et rogantibus dixi molestam me amplius non futurum, si iurasset disertiorem esse Ciceronem quam se. nec hoc ut faceret uel ioco uel serio effici potuit."

Eiusmodi molestiae fortasse multae ei acciderunt, erat enim homo qui prouocaret: nasutissimus (suas. VII. 12), malignus et contumeliosus (contr. I. 3. 10, VIIII. 26. 12), mordacissimus (contr. VII. praef. 7 seq.), arrogans (exc. contr. III. praef. 16 seq. suas VII. 12), sed exempla desunt. Acquiescendum est in paucis his rebus, quas hucusque de uita enarrauimus.

Addenda uidetur hoc loco breuis de rhetoris et declamatoris uocibus disputatio. Appellatur enim Cestius ab Hieronymo rhetor, a Seneca contr. I. 1. 14 in nouis declamatoribus numeratur. Noui autem declamatores sunt cum qui Graecos sequebantur in dicendo, tum maxime qui Asiano dicendi generi se addixerunt. Sed de his infra disputabimus, iam de declamatore omnino agitur: diuersum enim Cestii studium uterque testis ostendere uidetur, quandoquidem

certis limitibus notiones distinguit Quintilianus inst. orat. X. 1. 15 ita, ut rhetorem et doctorem qui praecipiant artem, opponat declamatori et professori qui oratori similes ostendant. Sed Senecam hanc notionum discrepantiam non curare uberius demonstraui in dissertatione mea de Latrone p. 11; is uoces rhetoris declamatoris scholastici pari ui componit. Itaque cum non nomina spectanda sint sed res, e multis illis locis quibus Cestius discipulos reprehendit eorumque dicta corrigit uelut contr. I. 3. 10, VII. 23. 10, proprio uerbi sensu dicendi magistrum illum fuisse dilucide apparet, qui ipsa institutione scholastica instruere discipulos studeret. Fieri quidem non potuit quin suas ipsius declamationes tamquam exempla auditoribus proferret quae sequerentur, at dissimilis erat Latroni qui elementa aliis permittens docenda ne audiuit quidem discipulos, sed institutione scholastica iam imbutos suo exemplo uoluit conformare cf. dissert. p. 13. Is erat declamator qualem Quintilianus describit: Cestius rhetor erat.

II.

De declamandi ratione.

Cestius **qua fuerit auctoritate** si quaerimus e discipulis, rhetor uidetur fuisse quo nullus melior, nullus praeclarior inueniri potuerit. Eum non solum disertissimis illius aetatis uiris praetulerunt, praetulissent etiam Ciceroni, nisi lapides timuissent cf. Sen. exc. contr. III. praef. 15. Nonne igitur is omnes uidetur anteisse? Neque uero auditores solum ita iudicabant quorum iudicium leuius esset, quoniam maximam partem pueri aut iuuenes scholas frequentabant, assentiebantur alii multi. Copiosissime enim disputat in illa praefatione Cassius Seuerus de discrimine quod intercedat inter forensem eloquentiam et scholasticam, in qua disputatione postquam exposuit cur ipse nollet declamare, haec addit: „Diligentissime tibi me excusarem, tamquam huic rei non essem natus, nisi scirem et Pollionem Asinium et Messallam Coruinum et Passienum qui nunc primo loco stat minus bene uideri quam Cestium aut Latronem". Hoc igitur iudicium fuisse aequalium qui sua fama Cestium prosequerentur neminem fugiet. Atque cum componatur a Cassio cum Latrone, quem Seneca ipse contr. VIIII. praef. 3, I. praef. 24 „declamatoriae uirtutis unicum exemplum" dicit, quo nihil grauius nihil eius eloquentia dignius sit, re uera Cestiana gloria non poterat esse mediocris. Accedit etiam Suetonii testimonium, qui cum exeunte capite primo libri de claris rhetoribus conscripti quodammodo praefatus esset „Illustres professores et quorum memoria aliqua extet non temere alii reperientur quam de quibus tradam", in iis quos laudat Cestium Pium suo loco proposuerat. Sed quantauis eius gloria fuit, non fuit nisi apud eos qui rhetoricis studiis oblectati in ea incumbebant. Licet enim sentire in Cassii uerbis: „Vtrum ergo putas hoc dicentium uitium esse an audientium? Non illi peius dicunt, sed hi corruptius iudicant" indignationem uiri, qui aliter diudicans palmam tribuerit oratoribus ab aequalium multitudine postpositis Pollioni Messallae Passieno. Hi uero prorsus aliam ingrediebantur dicendi uiam: oratores erant non declamatores, dignae studiosi orationis qualis uiguerat reipublicae temporibus, Ciceronem imitati, scholasticorum molli et artificioso sermoni

inimici cf. Quintilian. XII. 10. 11, Westermann. hist. eloq. Rom. p. 214. Ii quomodo de Cestio iudicauerint non iam opus est multis uerbis enarrare: contempsisse per se intellegitur. Gloria igitur illius mirifica erat solum inter scholasticos: obstat iudicium uel maxime contrarium. Quapropter rectum et uerum in medio erit collocatum, quae quidem partes sunt Senecae. Is enim erat uir iudicio modesto animoque candido et sincero, qui quamuis Ciceronem admiraretur et exemplum esse uellet eloquentiae (cf. contr. I. praef. 10 seq.), tamen rhetorica quoque studia adamabat quaeque in iis laude digna erant non dubitabat efferre; contra ea castigabat quae erant reprehendenda rhetorumque ineptias plus centies in libris suis acerbissime perstringit. Is uero non modo nusquam Cestium collaudat, immo cum suas. VII. 13 hominem eum dicat „nullius ingenii", uix profundo ore praedicauerit. Eum igitur si arbitrum constituemus Cestianae gloriae, multum de immensa discipulorum consortiumque laude nostro iure detrahere poterimus. Atque hanc ipsam ob causam ii male sentire uidentur, qui quod optimi codices contr. X. praef. 13. linea 20 editionis Bursianae post uocem Fusci aliam interponunt, Bruxellensis scilicet certi, Antuerpensis cessi, Montepessulanus caesti, Cestium putant a Seneca in primum rhetorum tetradeum fuisse receptum; in uestigiis, nisi glossema indicant, fortasse latet Arelli nomen Fusco addendum cf. dissert. de Latrone p. 26.

Occurrit autem Cestius rhetor Ciceroni magno illi eloquentiae Romanae patri et exemplari infestissimus (cf. Sen. suas. VII. 13), semper paratus illi respondere (cf. exc. contr. III. praef. 16), qui ne litteras quidem illum scisse contenderet (cf. suas. VII. 13) quique nec ioco nec serio neque summis in iudicio contumeliis adigi posset, ut Ciceronem se disertiorem fuisse concederet (cf. exc. contr. III. praef. 17). Mira fere est haec in Ciceronem aemulatio, sed unde originem traxerit facile apparet. Cestius homo erat Graecus, in Asia natus Smyrnaeque perlongum tempus uersatus. Studiis igitur rhetoricis deditum numquid ueri similius quam ei eloquentiae generi illum se addixisse, quod tum in illa prouincia maxime floreret, asiano dico, quod eodem fere tempore in Italiam transactum etiam Romana ingenia incepit deperdere? Erat ea eloquentia, a qua Cicero Demosthenem secutus exemplum prorsus abhorreret, qui aeque contemneret Atticorum pressam et integram atque Asianorum tumidam uanam iactantem rationem, cui iudicium maxime ac modus semper deesset cf. Cic. orat. c. 6. 7 sq. Rhetores uero et scholastici, quod admodum erat speciosa, illam potissimum recipiebant, Ciceronis simplicitatem deserebant. Diuersa igitur secuti non poterant non dissentire et latet hac maxime in re declamatorum infesti in Ciceronem animi origo, qui quidem pro hominis mordacitate et arrogantia in Cestio summum odium uidetur.

Singulas eius declamationis partes cum iam inspicimus, quae in uniuersum fuerit eloquentiae scholasticae ratio omittamus: copiose exposita est a Bernhardyo hist. litt. Rom. p. 76 sq. 233 sq. Westermanno hist. eloq. Rom. §§ 78, 81, 82, 86, Schlossero hist. uniuers. orb. ant. III. 1. 292 sq.; nostrum est uidere quatenus ea in Cestium quadret. Qua in quaestione liceat delegare lectores ad ea quae in dissertatione de Latrone inde a pag. 27 uberius extant exposita, cuius quidem declamationem ita perscripsimus, ut quae propria habet componeremus cum oratorum priorum tum ceterorum declamatorum usui. Atque eum cum probauerimus fuisse qui sanam sectaretur eloquentiam quique, quamuis ueterem et simplicem eloquentiae formam non posset restituere propter diuersa dicendi argumenta et condiciones, non exultaret in nouis et inauditis uetera plane despiciens, sed quantum posset ex his retineret, fortasse aptum erit demonstrare, quibus in rebus ab hoc discedens Cestius iam multo corruptioris eloquentiae sit sectator.

Exordimur uero **ab oratione.** Huic quantum tribuerit ex paucis quae Seneca tradidit fragmentis certo quidem non uidetur erui posse. Composuit enim is opus suum, cum maximorum declamatorum commentarii fere aut nulli extarent aut quod peius erat falsi (cf. contr. I praef. 3), sine scriptis fontibus, summa in senectute, memoria quamuis natura mirabili adeo iam fracta, ut certum

ordinem se consequi non posse in contrahendis quae sibi occurrant, et controuersiarum sententias forte pluribus locis in una declamatione dictas positurum ipse confiteatur. Si uero ne controuersias diuelleret iam ueritus est, nonne maius etiam fuit periculum, ne singula cuiusque propria uerba referret aut cum aliorum uerbis confusa aut de suo interpolata? Nam memoria uel ualidissima post tantum temporis uix quisquam tot hominum tot sententias cum ipsorum uerbis potuerit tenere, praesertim quas audiuit solum, non legendo edidicit. Accedit quod cum contraheret a Cestio dicta efferens quae uidebantur grauissima, etiamsi eius uerba seruauit, orationis tamen formam mutare debebat sublata quae inter singulas sententias fuerat coniunctione. Nihilominus uero periclitandum putaui; nam etsi singula quaedam fallant, in uniuersum tamen ex iis quae Seneca tradidit de Cestii sermone iudicium facere poterimus.

Oratio uero aperte **argenteae aetatis** est. In uerborum quidem usu ueteris eloquentiae speciem non plane deseruit; uerba enim passim immixta sunt, quae apud aureae aetatis scriptores omnino non uel apud poetas solos leguntur, uelut quae extant contr. I. 6. 7 uxorius de eo dictum qui uxorem ducit, contr. VII. 19. 9 infructuosus (codices „infructu" legunt, Bursianus „infaustam"), c. VII. 21. 2 cruciarius, VIIII. 24. 14 superuenire, sed numerus eorum quantum e fragmentis liquet non ita magnus est. Abhorruisse etiam uidetur a graecis uocibus neque nouatas ab ipso usquam repperi. Multo magis noui dicendi generis sectator perhibetur in iis quae ad syntaxin spectant. Ellipses habet frequentiores uelut suas. IIII. 2 „quid consulatum salutarem?" ibidem 10 „male cum illo ait" (codices „male cum ille ait": Bursianus ex emendatione manus recentis in codice Couarruuiano recepit „male cum illo agi"), contr. II. 11. 2 „haec intra triginta dies" cf. contr. VII. 16. 1, 20. 4 cet.; creberrimas deinde usurpat quaestiones interrogandi uerbo posito nullo, quales reperis suas. V. 5, contr. I. 3. 2, II. 12. 2, VII. 16. 9; esse uocem omittit post uerbum putare uelut „puta te patrem" contr. II. 14. 1, cui loco similem composuerim „narrabo me iuuenem" contr. II. 11. 2; participio futuri utitur ita, ut referat non in tempus loquenti praesens, sed quod in sententiarum connexu praedicatur, qualia sunt „pessum iturus" contr. VII. 16. 10, „nauigaturus" VII. 19. 1, „datura" II. 1. 7, „in" denique praepositionem coniungit cum substantiuis consilio inseruientem indicando uelut „imponitur in naufragium" contr. VII. 16. 10. Neque non utitur phrasibus a declamatoribus illius aetatis saepe adhibitis uelut „mehercules" suas. VI. 10, „non est quod...." contr. VIIII. 19. 1, „nihil amplius quam" contr. X. 34. 4 aliis de quibus uide dissertationem de Latrone p. 29. Alia uero corruptae linguae signa quae praebet editio Bipontina in recentissima Bursiani editione correcta sunt, in quibus refero uoces „nec quidem" suas. VI. 16, contr. VII. 16. 11, VIIII. 24. 2 in „ne-quidem" mutatas et inprimis locum contr. VII. 22. 13. Ibi enim cum in edit. Bip. legatur „causa" uox genetiui praeposita inde pendenti „imperium reipublicae causa filii petii", quoniam codices perhibent „petieret reip. cause fili", contextus qui dicitur a Bursiano recte uidetur restitutus esse sic: „petii et reipublicae causa et filii." — Quae omnia si comprehendimus, Cestius non dubium est quin in sermone iis omnibus usus sit, quae in communem aetatis usum et linguam erant ascita: a nouis et inauditis manum abstinuit.

Laborabat uero, cum Graecus esset, oratio uerborum latinorum inopia, id quod Seneca testatur contr. VII. 16. 27; quo factum est ut quae Latroni magnae erat commendationi Cestio plane defuerit lecta oratio et delicata, nitore ubi locus ei erat non destituta.

Enunciatorum autem **connexus** nullus fere est: Ciceronianus ille praeclarus numerus ubique desideratur. Decurrit oratio in singulas confracta sententias omni carentes uinculo ac ligamine.

Neque hoc contentus erat Cestius: debebat enim orationis forma auditores sibi conciliare, quos argumentum quod nullum erat non captabat. Hanc igitur maximo opere uariaturus adamauit

breuissimas sententias per antithesin inter se opponere, multas proferre interrogantis, multas alloquentis, multas exclamantis modo ac ratione, ut sermo leniter decurrens, plane tolleretur et tamquam torrens de radicibus et lapidibus turbidus deferretur.

Incidit propterea etiam in malam illam declamatorum consuetudinem, quod obruebant orationem **figuris** tamquam ornamentis, quae cum artificia essent iniecta sine ullo compositionis modo cuiuis rei, orationem reddebant tamquam pallium ex diuersissimis pannis consutum. Multa afferre possum chiasmi anaphorae antithesis conuersionis climacis correctionis annominationis aliarum figurarum exempla, sed non multus ero in locis enumerandis, quoniam lectori in qualibet fere pagina ultro obueniunt. Sufficiant igitur chiasmi exempla suas. VII. 3 „Antonium auulsum Catilinae, reipublicae redditum"; contr. VII. 16. 11 „o maria iustiora iudiciis, o mitiores procellae patre"; VII. 17. 3 „adulescentia turpis est, infamis pueritia est": anaphorae suas II. 5 „Ideo hanc Eurotas circumfluit, ideo Taygeti difficilia nisi Laconibus iuga, ideo Hercule gloriamur, ideo muri nostri arma sunt?" VII. 3 „uiues sed eruentur oculi, uiues sed debilitabuntur pedes"; contr. I. 1. 24 „debuisti illam ad me perducere, debuisti reconciliationem temptare": antithesis suas. II. 5 „uincere non licet, uidere liceat"; contr. I. 1. 7 „nisi impetrauero ut boni fratres sint, impetrabo ne mali patres sint"; I. 3. 2 „ut cum contra poenam causa tuta non fuerit, contra causam tuta poena sit": conuersionis suas VI. 4 „Si ad desiderium populi respicis, parum uixisti, si ad res gestas satis uixisti, si ad iniurias fortunae nimium diu uixisti;" contr. I. 1. 24 „fortasse ego fratrem rogassem, si tu non fuisses, fortasse ille me rogasset, si tu non fuisses": climacis contr. I. 2. 7 „ita domi custodita est — ita cara fuit suis — ita raptae pepercere piratae — sic emit leno — sic deprecata est", I. 7. 3 „pecuniam dabas, auaris dabas, piratis dabas". Similium figurarum coacervationem ubique reperies, sed maior haec est copia quam quae ornet orationem, immo uel maxime corrupit, quamuis placeret delicatis illis auditoribus, quibus omnia sordebant quae natura dictauit quaeque a uulgari et simplici dicendi genere non aliqua ex parte discedebant.

Cohaeret cum hoc figurarum usu de **sententiis** quaestio, in quibus Cestius uestigia aequalium peruersissima pressit ratione: permultae apud eum inueniuntur insulsissimae. Nam adeo iam erat corrupta eloquentia, ut in his declamatores rerum naturam nullo modo curarent, immo quo audacius quoque inauditius aliquid dicebant, eo praeclarius putarent dictum. Atque cum non solum ipsi putarent, sed maximo etiam cum plausu ab auditoribus tales sententiae exciperentur, multi non uerebantur uel ineptissimas declamationibus inspergere, etiamsi ipsi saniore utebantur iudicio. Apposite uidelicet de iis Votienus Montanus apud Senecam profitetur contr. VIIII. praef. 1, „qui declamationem parat, scribit non ut uincat sed ut placeat — omnia itaque lenocinia conquirit — cupit enim se approbare non causam — necessaria deserit, dum speciosa sequitur." Atque in his Cestius etiam fuit qui suis uerbis confitetur contr. VIIII. 29. 12 „multo dico non quia mihi placent, sed quia audientibus placitura sunt". Multa igitur deteguntur in eius declamationibus inepta uelut suas. I. 11 „fremit Oceanus quasi indignetur, quod terras relinquas;" contr. II. 12. 2 „duos filios tuli; huic numero iam assueui"; contr. VII. 19. 8 „propter hoc ipsum magis flebilis est, quod non potest flere", tamquam caeci flere non soleant; contr. VIIII. 26. 5 „ne diuiderem filios, una exposui"; VIIII. 24. 2 „unus Miltiadis census inuentus est: Cimon filius": — alia immodice dicta uelut suas. II. 14 „per sepulcra nostra iurabitur": alia nimis subtiliter dicta uelut contr. VII. 19. 8 „si te capti mouent, et haec capta est", quod quidem obscurius dictum esse ipse non ignorauit paulo post explicans „luminibus capta": alia denique pueriliter ludentia uelut contr. VIIII. 28. 1 „habui filiam: de omnibus meis „habui" dicendum est".

Haec uero quamuis sint quae reprehendas, laudis tamen aliquantulum non poteris ei non tribuere respiciens ad alios eiusdem artis cultores. Namque ipse licet in declamationibus sua sponte

multa insaniuerit, haud raro tamen recto iudicio quae modum transgrederentur dignouit et acerbissime uituperauit. Ineptorum schematum aduersarius exoritur in Albucium Silum contr. VII. praef. 8. Dixerat ille in controuersia quadam: „Quare calix si cecidit frangitur, spongia si cecidit non frangitur?“ quae quidem sententia insolentior est quam quae a sano homine feratur. Neque Cestius bilem continuit, sed albis dentibus, id quod Plautus dicit, sententiam deridens discipulos suos hoc modo hortatus est: „Ite ad illum cras: declamabit uobis quare turdi uolent, cucurbitae non uolent.“ Idem Albucius cum dixisset de illo qui fratrem parricidii damnatum exarmata naue dimisit: „Imposuit fratrem in ligneum culleum“, ingentem scholasticorum risum mouit, cum Cestius eandem dicturus controuersiam uerbis repetitis mirificam illam sententiam suo more ludificaretur cf. ibidem 9. A duris deinde et crassis eum abhorruisse argumento sunt contr. I. 3. 10 in Quintilii Vari filii uerba: „incestam ne cito supplicium transcurreret, dii reuocauerunt“ contumeliosi eius impetus: „Sic quomodo quadrigas reuocauerunt: nam et ante posuisti similitudinem, quia et haec de carcere exierat“. Neque minus Pastorem Aietium senatorem perstrinxit apud ipsum inepto modo de eadem incesta declamantem: „Sic ueneficiis corpus induruit, ut saxa reuerberaret“. „Hoc enim inquit, male mihi facit ille qui aut athleta est aut phtisicus“ (sic Bursianus; codices „phtuicus“ praebent, edit. Bip. „pyctes“) cf. ibid. 11. Atque eiusmodi uitia ut erat homo mordax et contumeliosus semper eum impugnasse apparet ex sententia eodem loco prolata: „Hoc est quare inuitem auditores meos ad alios audiendos ire“, scilicet ut cognita hac dicendi ratione in suis declamationibus eam deuitent. Vituperabat etiam inane illud et artificiosum sententiae genus, quo quidem, quotiens aliqua uox poneretur, ad illam quasi ad sententiam decurrebant declamatores, id quod ἠχώ uocabat. Peccauit hac ratione auditor ille qui de proditore controuersiam VII. 22 sic incepit: „Ut uerbis ducis uestri, iudices, incipiam: Cauete proditionem“, sic finiuit ut diceret: „In quibus uitam finiit imperator: cauete proditionem“ (sic utrobique Bursianus: ed. Bip. „proditorem“ exhibet quod in excerptis etiam Bursianus recepit). Illum Cestius statim increpuit: ὕπερ (Bursianus ex coniectura ἄφες) τὴν ἠχώ. Atque corripuit hoc uitium non semel, alterum exemplum extat in illa suasoria in qua deliberat Alexander, an Oceanum nauiget. In ea enim cum exaudita esset uox: „Quousque inuicte“ ab ipsa uoce quidam coepit declamare et in eandem desiit. Desinenti autem illi Cestius ait: ἔν σοι μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι. Et alter cum descriptis Alexandri uictoriis gentibus perdomitis nouissime poneret: „Quousque inuicte“, exclamauit Cestius: „Tu autem quousque“? cf. contr. VII. 22. 19, exc. contr. VII. 7. 1. Itaque quamuis ipse multa insaniret, modum tamen seruari uoluit, ultra quem uerum et rectum consistere non posse putaret: ineptior quidem est Latrone in sententiis, quia placere uolebat ineptis, sed haud pauci sunt multo etiam ineptiores. Illud uero quod appetiuit ita assequebatur, ut raro diceret quin auditores plauderent, utque praeceptoris declamationes ediscerent, Ciceronis orationes non legerent nisi quibus Cestius rescripserat cf. Sen. exc. contr. III. praef. 15.

Quod uero in sententiis reprehendimus maxime deprehendimus in **coloribus**, studium illud dico noui et inauditi quod rerum naturam minus curaret. Noluit repetere quae cum re ipsa offerrentur a multis iam dicta erant et dicebantur, alia erant detegenda, alia eruenda quae insoliti specie aures auditorum et sensus lenocinio quodam titillarent. Fingebat igitur rerum condiciones quae nunquam exstiterunt, causas supponebat actionibus quas nemo secutus est neque unquam sequi uoluerit, et cum laude dignum uideretur in utramque partem dicere et habere quae inseruire possent damnando reo, quae absoluendo uel in iis rebus quae excusationem prorsus nullam admittunt, fieri non potuit quin incideret in res quas nemo certe proferet, qui sanus uolet haberi. Huius rei pauca liceat proponere exempla. Controuersiae omnium primae thema hoc est: Liberi parentes alant aut uinciantur. Duo fratres inter se dissidebant: alteri filius erat: patruus in egestatem incidit: patre uetante adulescens illum aluit: ob hoc abdicatus tacuit:

adoptatus a patruo est. Egere coepit pater: uetante patruo alit illum: abdicatur. In hac controuersia quomodo Cestius defendere studet abdicatum? „Haec ait mecum cogitaui: Pater meus egentem uidet fratrem: non miseretur, non praestat alimenta: hoc est inquam non uult eripere filio officium, scit in hac fortuna meorum has iam meas esse partes.“ Patruum autem quomodo excusat? „Debuisti me rogare, ut ipse praestarem, debuisti illum ad me perducere, debuisti reconciliationem temptare, non famam pietatis ex nostra captare discordia“ cf. contr. I. 1. 24 seq. Neque minus inepte contr. X. 32. 13 patrem defendit, quo iubente filia se suspenderat uenia ab eo petita nec uero impetrata, quod bello ciuili coniugem secuta ab aduersariorum partibus stetisset: „Quare ad me non fratrem suum mittit?“ Sed grauiora etiam extant. Quae enim calliditas est patris in contr. I. 7. 16, qui cum filius a piratis captus ei de redemtione scripsisset, piratis epistolam misit: „Si praecidissent manus, duplam se daturum pecuniam“? „Usus sum inquit consilio; sciebam piratas non crudeles esse sed auaros. Volui efficere ut desperarent illum redimi, et propter hoc superuacuum et sumptui futurum dimitterent“. Videas porro portentum e studio in utramque partem dicendi profectum contr. VIIII. 24. 14. Callias Cimonem solutis quadraginta talentis quae Miltiadi erant imperata a republica redemerat, ut filiam ei collocaret. In matrimonium duxit Cimon, sed in adulterio deprehensam cum ex lege deprecante patre occidisset, ingrati reus factus est. Illum uero in tali iudicio quis potest non absoluere? Absoluit Cestius, sed uoluit etiam Calliae partes agere. Quid igitur restitit? Obiecit Cimoni — „quod passus esset uxorem suam adulteram fieri, quod non custodisset, quod exspectasset dum superueniret pater, ut spectator calamitatis suae esset.“ Egregie nempe et argute haec sunt inuenta! Addere uero ad ea liceat postremum colorem a sanis illius aetatis hominibus iam satis derisum, quo infantem ueneficii uult damnari non intellegens infantem ne posse quidem ream esse cf. contr. VIIII. 29. 12.

Pauca haec sunt quibus componere possum alia multa uelut contr. VII. 16. 21, II. 9. 3, exc. contr. IIII. 6. 4 cet., sed subsistam: sufficere enim prolata puto ad uiri ineptias intellegendas. Has respiciens certe non iniuria iudicauit Seneca suas. VII. 12 hominem Cestium fuisse nullius ingenii, cui qui comparari uolebat, id quod argute et facete Cassius Seuerus dicit exc. contr. III. praef. 18, non ingenio maiore opus erat sed sensu minore.

De **diuisione** denique breui mihi licet esse: caret in ea eadem qua in sententiis controuersiae antiquae laudanda simplicitate (cf. Sen. contr. I. 1. 13), abundat iisdem quibus in coloribus artificiis. Composita est et incedens per quaestionum et argumentorum insolentem fere multitudinem, partium quam maximo numero placitura subtiliter fit operosa et ipso numero eneruata, Latronis igitur non sine auctoritatis detrimento dissimilis cf. dissert. de Latrone p. 34 et 35, Westermann. hist. eloq. rom. p. 267.

Quae omnia si comprehendimus, Cestius rhetor uidetur qui praeceps decurrebat in ea uia, quae tum uigebat in eloquentia, quique eo potissimum famam assequebatur et auctoritatem, quod omnia eius uitia adoptabat: in oratione usus argenteae aetatis sermone, figurarum et sententiarum captans, a uerborum rythmo et artificiosa coniunctione abhorrens, in coloribus non modo simplicia refugiens, immo consulto appetens quae essent noua et inaudita quamuis ineptissima, in diuisione languidus et imprudenter diffusus, denique ne longus sim rhetor qui non rem spectaret sed formam, non curaret quid diceret sed quomodo. Intellegebat quidem quae insolentius et intemperantius erant dicta et castigabat interdum, intellegebat etiam declamatorum rationem non esse ab omni parte probabilem, sed quae pauca habet laude aliqua digna permultis illis obruuntur, quae uel acerbissimo uituperio nondum satis acerbe reprehenderis. Exhibebat ille mores saeculi corruptos, uetere simplicitate destitutos, lucrum quaerentes non integrae et honestae uitae

famam. Itaque non egit quae recta et uera credebat, sed quae multitudini erant placitura: ipsa uitia appetebat utpote animorum lenocinia. Numerandus est in iis de quibus Petronius satyrici sui initio dicit apposite: „Minimum in his exercitationibus doctores peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere. Nam ni dixerint quae adulescentuli probant, ut ait Cicero, soli in scholis relinquentur: sicut ficti adulatores cum caenas diuitum captant, nihil prius meditantur quam id quod putant gratissimum auditoribus fore; nec enim aliter impetrabunt quod petunt, nisi quasdam insidias auribus fecerint; sic eloquentiae magister nisi tamquam piscator eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos, sine spe praedae moratur in scopulo". — Huc cum accederet quod Cestius nullius erat ingenii, fieri non potuit quin decederet non solum a Ciceronis eloquentia, immo eam contemneret et corrupto aequalium iudicio inseruiens corruptae eloquentiae ingrederetur uiam, quae annis uoluentibus gradatim deprauabatur. Si cum Latrone Cestium comparamus, eum multo corruptioris eloquentiae sectatorem fuisse neminem fugiet.

Quodsi uero recte contenditur rhetores quo magis a Ciceronis aetate discederent, eo magis ab eius eloquentia fuisse remotos, illud nescio an efficiatur ut Cestius, quamuis per aliquantum temporis Latronis esset in arte socius atque aemulus, illo tamen fuerit posterior. Cui opinioni obstare uidetur ordo quem secutus est Suetonius in catalogo Cestium praeponens Latroni. Is enim si rhetores ab ipso commemoratos composuit ut temporis ratio postulabat, id quod Doergensius contendit in libello de Suetonii uiris illustribus p. 24, hinc ad ea quae iam p. 5 de Cestii anno natali disputauimus illud cognoscimus, Cestium natum esse ante annum 696 u. c., Latronis natalem cf. dissert. p. 7. Quo quidem anno supposito sexcentesimo nonagesimo Cestius octogenarius saltem senex fuit, cum Quintilii Vari filius auditor eius scholam frequentaret cf. p. 6. Quae aetas quamquam per se nihil habet quod offendat, quippe quam multi rhetores sint assecuti, uelut ille ipse qui Cestii memoriam nobis prodidit Annaeus Seneca, suspicio tamen facile irrepit, praefueritne octogenarius scholae publicae? Hoc equidem uix crediderim. Cum uero constare uideatur annus 770 u. c. usque ad quem artem docuerit rhetoricam, annum natalem necesse est ponamus anno 690 u. c. posteriorem. Huc accedit alterum. Cestium enim, quod scholam Romae aperuerit non ante annum 723 u. c., inter Romanos professores hoc demum tempore inclaruisse patet; Latronem uero cathedram obtinuisse anno 711 u. c., decessisse anno 750 u. c. demonstrasse mihi uideor in dissertatione p. 14 et 22. Ille igitur annis aliquot ut uidetur ante Cestium ortus cum praeterea annis prope quindecim ante publice inceperit Romae docere, uiginti certe annis ante animam efflauerit, num Suetonius in collocandis his rhetoribus chronologicam ut uerbo utar rationem secutus sit admodum dubito. Equidem praepositum puto Cestium propter immensam ei ab aequalibus impertitam laudem, quam Latroni licet a Seneca et a discipulis prae omnibus elato non plane eodem modo tribuisse uidentur, utpote qui escam repudiaret qua ille utebatur piscator. Neque forte accidisse credo quod et ipse Cassius Seuerus apud Senecam exc. contr. III. praef. 15 Cestium praeposuit Latroni. Temporis autem rationem ille hoc loco nequaquam habebat, immo iudicia referens quae aequales de rhetoribus et oratoribus faciebant, utrumque uirum ita collocabat, ut ab illis celebrabatur.

Ceterum cur Doergensius in scriptura Cestii nominis „ae" litteram resuscitauerit nescire me non piget: „e" littera enim legitur cum in titulis tum apud Suetonium in codice Parisino et apud Senecam in optimis codicibus Bruxellensi scilicet et Antuerpensi ubique, unico loco excepto contr. II. 9. 28.

Sed haec hactenus; redeamus ad Cestii declamationem, quem quidem arti suae multum studuisse negari nequit. Magna enim ingenia cognouerat et imitabatur uelut Vergilium contr. VII. 16. 27, quamquam in exc. contr. III. 7. 3 Alfio Flauo opprobrio uertit quod studiose poetas legerit. Illud uero uituperium non ex corde uidetur dictum, immo malignitate oblatum ei, qui

discipulum praeceptore iam celebriorem ubique potuit acerbissime impugnaret. Ciceronem quoque perlegit sed ita tantum, ut eius orationibus rescriberet; id quod Seneca narrat exc. contr. III. praef. 15; quas uero hoc modo conscripsit declamationes, eae perierunt. Multum etiam uidetur in graecorum rhetorum scripta incubuisse, utpote qui contr. I. 1. 14 in nouis numeretur declamatoribus qui graecos sequebantur auctores; ipse sententiam graecam transtulit contr. X. 33. 21. Graecus autem oriundus graeco sermone nunquam declamabat (cf. contr. VIIII. 26. 12, Hieronymum l. l.); in docendo ea interdum utebatur uelut contr. VII. 22. 19, VIIII. 26. 12. Qua de causa factum est ut latinorum uerborum inopia laboraret sensibus abundans. Quotiens enim laetius aliquid describere ausus est, totiens substitit; utique cum se ad imitationem magni alicuius ingenii direxerat, sicut fecit in contr. VII. 16. 27. Neque hoc adeo mirum, quod Seneca teste contr. VIIII. 26. 13 multa dicebat ex tempore.

Denique Cestium ut ceteros rhetores oratoris muneri imparem fuisse apparebit, si lectores ad ea relegauero quae iam supra p. 7 de eius cum Cassio Seuero contentione rettuli ex Senecae exc. contr. III. praef. 18. Suauis et iucunda est illa fabella, qua quidem non dubium est quin assecutus sit Seneca id quod uoluit, ut scilicet filii uiderent in declamationibus tantum non aliud genus hominum esse. Similia referuntur de Albucio Silo apud Sen. contr. VII. praef. 6 seq., de Porcio Latrone contr. VIII. praef. 3, de quo praeterea uide dissertationem p. 42 et 43.

III.

De Cestii discipulis.

E multis Cestii discipulis suis nominibus tres commemorat Seneca.

Primus est **Argentarius,** homo Graecus, auditor Cestii et imitator talis, qui praeceptoris uestigiis insisteret omnibus cf. contr. VIIII. 26. 13. Is aeque in sententiis et coloribus insaniebat, aeque ex tempore dicebat, aeque lingua uernacula nunquam utebatur. Interponebat etiam multa cum contumelia, quam eandem fortasse fuerint qui credant inesse in iureiurando, quo iurare solebat Cestio uiuo „Per manes praeceptoris mei Cestii!“ quid enim ait putatis esse Cestium nisi Cestii cinerem?“ Sed hoc aliter uidetur habere. Non erat contumeliosum sed ineptum, quale pro insania sua saepe occurrebat scholasticis, uelut Albucio Silo a L. Aruncio propterea in iudicio acerrime correpto apud Sen. contr. VII. praef. 7. Voluit autem significare summam uenerationem et admirationem: tam sanctum scilicet sibi esse praeceptorem uiuum, quam cineres eius futuri erant mortui. Solebant enim ueteres ut aequales per maiorum cineres ius iurandum facere quod fidelissimum esse uolebant. — Cestius uero hanc piam quodammodo imitationem aegre ferebat et indignabatur detorqueri ab illo totiens et mutari sententias suas. Maligne igitur quae eius erat natura in eum inuectus „Quid putatis, dicere solebat, Argentarium esse? Cestii simius est“, quod in Graecum transtulit ὁ πιθηκός μου“. cf. contr. VIIII. 26. 12.

Videtur autem Argentarii ingenium non maximum fuisse, siquidem Senecae uerba contr. VIIII. 25. 22 „Argentarius in quae solebat schemata minuta tractationem uiolentissimam fregit“ languidam semperque repetitam declamandi rationem ostendunt. Est autem illa lectio Bursiani, codices habent „scemata indut a tractatione“, editio Bipont. „schemata attrectationem“. — Sententiae eius et colores quinquaginta fere a Seneca proferuntur quae hoc loco nolo enumerare; indicata sunt a Bursiano in indice editioni adiecto.

Extant praeterea triginta fere carmina erotica plerumque Argentarii cuiusdam graeci poetae, quae cum argumento tum forma aetatem linguae Latinae argenteam significantia studiaque olentia rhetorica nostro addicit Reiskius in antholog. graec. a. Const. Cephal. condit. libb. Lips. 1754. notit. poett. p 195. Potuit quidem qui in declamando linguam graecam aspernabatur in carminibus ea uti, sed si in illo quoque genere lusisset Argentarius, silentio uix transiisset Seneca de rhetoribus talia referre solitus, uelut de Surdino et Alfio Flauo quos paulo infra proferam. Is uero cum Argentarii poetica studia ne uerbo quidem significet, equidem non fuerim Iacobsio audacior qui in commentationibus ad antholog. graec. T. XIII. p. 860 iudicium cohibet.

Alter Cestii auditor erat **Surdinus** ingeniosus adulescens, a quo Graecae fabulae eleganter in latinum sermonem conuersae sunt. Solebat is dulces sententias dicere, frequentius tamen praedulces et infractas (cf. suas. VII. 12), quamuis interdum bellis sensibus eleganterque dictis non caruerit uelut contr. VII. 20. 7. Alia notitiam nostram fugiunt.

Tertius deinde commemoratur a Seneca **Alfius Flauus,** qui idem fortasse miro „Allegii Flauii“ nomine contr. I. 3. 7 in ed. Bip. indicatur; codices enim legunt „Alei“. Erat is adulescens egregiae indolis atque cum praetextatus esset iam tantae opinionis, ut populo Romano puer eloquentia notus esset, multosque ipsum audituros fama sua in Cestii scholam perduceret. Tantum eius uidebatur ingenium, ut de eo Cestius semper et praedicaret et timeret, non uitale id ratus, quia tam immature magnum esset. Neque causa carebat hic metus: lasciuiebat enim (cf. contr. III. 14. 8) et omnia fecisset mala, nisi naturalis uis ubique eminuisset. Ea uero post multos annos tametsi desidia obruta et carminibus eneruata uigorem tamen suum tenuit. Itaque cum praeterea eloquentiam eius semper commendaret aliqua res extra eloquentiam, in puero scilicet lenocinium ingenii aetas esset, in iuuene desidia, tanto hominum concursu audiebatur, ut raro post illum auderet Cestius ipse dicere. Studiose uidetur poetas legisse eosque in declamationibus imitatus esse uelut in excerptis contr. III. 7. 3, quod quidem non mirum in uiro qui ipse in illo genere occupatus otium transegit.

Carmina enim finxisse Alfium Seneca testificatur: sed qualia fuerint ignoramus. Probabile autem uidetur Vossio de poet. lat. p. 39 eundem esse Cestii auditorem atque Alfium Auitum Augusti et Tiberii aequalem, qui dimetro iambico plusculos libros scripsit excellentium uirorum teste Terentiano Mauro u. 2447 ed. Lachmanni cf. Wernsdorf. poet. lat. min. III. XXXI praef. Eadem est sententia Henrici Valesii in notis ad exc. Cass. Dion. p. 82; aliter uero Lachmannus uidetur statuere, cum scribit in praefatione ad Terent. Maurum p. XII.: „Dicit autem Terentianus sui temporis poetam Alfium Auitum“ i. e. exeuntis saeculi post Christum natum tertii. Recepit enim in uersum 2451 „conscribit“ uetustam Venetorum lectionem reiecta uulgata quae habet „conscripsit“. At praesentis temporis forma num sufficiat ex qua sola tale quid concludatur equidem dubitauerim; potuit Terentianus ea uti uel de homine iam diu defuncto, cuius libros usque eo seruatos manibus peruolueret. Non igitur refellit uir doctissimus Vossii opinionem, quae licet certis careat argumentis tenenda tamen uidetur, donec alia erit prolata probabilior.

Atque ex Alfii de uiris excellentibus libris fragmenta aliquot a Prisciano seruata sunt VIII. p. 823, XVIII p. 1136, XII p. 497, quae reliquorum desiderium haud exiguum mouent. Illorum uero primum uersiculos continet libri primi de ludi litterarii magistro filios principum Faliscorum adducente ad M. Furium Camillum sed ab eo uincto et pueris tradito, ut uerberibus in urbem redigeretur:

Tum litterator creditos
Ludo Faliscum liberos
Caussatus in campi patens
Extraque muri ducere
Spatiando paullatim trahit
Hostilis ad ualli latus.

Alterum cum hoc cohaerens ipsa magistri uerba exhibet:

Seu tute malis obsides,
Seu tute captiuos habes.

cf. Meyer anthol. lat. I. 125. Burmann. I. 452. Tertium denique Hersiliae Sabinae uerba continet, quibus ut genti suae parcat a Romulo marito precatur:

Marite, si sanguis Curis,
Sabina si caedes placet,
In me oro conuertas manus.

cf. Burmann. II. 730. Meyer. l. l.

Aliam poesis materiam significare uidetur Plinius hist. nat. VIIII. 8 narratiunculae alicuius de delphino puerum Puteolanum amante Alfium Flauum citans auctorem. Hunc enim poetam Cestii esse auditorem, quoniam componitur cum Fabiano Arellii Fusci ut uidetur discipulo Cestii et Senecae aequali, a uero non admodum procul afuerit.

Ordinem Cestianorum auditorum concludit **Quintilius Varus,** uicti et occisi in silua Teutoburgensi Vari filius, ineptis sententiis exultans de quo iam supra diximus pag. 5 et 12.

Qui postremus a Seneca profertur **Pastor Aietius** senator, is non tam auditor Cestii uidetur fuisse quam aliquando declamasse apud illum, id quod uel nobilissimi uiri interdum fecerunt in rhetoris scholam declamaturi descendentes cf. Bernhardy. hist. litt. § 16, Suet Aug. 89, dissert. de Latrone p. 16. Hic uero quam insulse egerit iam supra narratum est pag. 12.

